



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Ervditione Religiosorvm**

**Humbertus <de Romanis>**

**Ingolstadii, 1591**

**VD16 H 5888**

4. Disciplina in risu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](#)

singit hominis incessum , & nauis remigium , & auis volatum . Prima igitur custodia disciplina in gestu est , vt vnumquodque membrorum in eo officio , ad quod creatum est , se contineat : vt id quod facit , eo modo faciat , quo faciendū est : nec plus , nec minus , nec aliter . Et vt in paucis exemplificemus : Ridere debet sine apertione dentium , videre sine defixione oculorum , loqui sine extensione manuum , & extentione digitorum , incedere sine vētilatione brachiorum , & sine gesticulatione scapularum , sedere sine alterutra superiectione pedum : sine extensione vel agitatione tibiarum , & sine accubatione laterum .

*De disciplina in risu.*

CAP V T IIII.

**E**T notandum quod virum religiosum multum decet , vt disciplinam seruet in risu . Lib. 4. Cirt. Quis risus sit reprehensibilis , ostendit Seneca his verbis : Miscebis interdum seriis iocos , sed temperatos : & sine detrimento dignitatis & verrecundiae . Nam reprehensibilis risus est , si immodicus , si pueriliter effusus , si muliebriter fractus . Odibilem hominem facit risus aut superbus & elatus , aut malignus & furtivus , aut alienis malis euocatus . Idem : Risus fit sine cachinno . Luctus in hac valle lachrymarum debet esse frequens & multus : risus vero rarus & modicus . Ad hoc monemur ex exemplo Christi , de cuius luctu habetur in multis locis sacrae Scripturae : scilicet Lucæ 19. Iohan. 11. Hebreor. 5. De risu vero eius in hac vita presenti nusquam legimus .

Risus

Risus habet maledictionem eius. Vx̄ vobis qui *Luc.6.*  
nunc ridetis. Luctus verò habet eius benedi-  
ctionem. Beati qui lugent. Inter risum discipli-  
natum & indisciplinatum distinguitur. Fatuus  
*Matth.5.*  
in risu exaltat vocem suam : vir autem sapiens  
vix tacitè ridebit. Risus indisciplinatus est velut  
ebullitio stultitiae. Os fatuorum ebullit stulti-  
*Eccl.21.*  
tiam. Est etiam velut sonitus spinarum in igne.  
Sicut sonitus spinarum crepitantium sub olla, *Eccl.7.*  
sic risus stulti. Risus indisciplinatus aliquando  
est inuidiae, aliquando perfidiæ, aliquando insa-  
niæ. De primo dicit Poeta: Risus abest, nisi quem  
visi fecere dolores. De secundo dicitur: Quasi *Pro.10.*  
per risum stultus operatur scelus. De tertio Au-  
gustinus: Malunt sapientes se gerere sanos lu-  
gentes, quām freneticos ridentes.

*D e disciplina in locutione. Et primò quodd custo-  
dia oris est custodia animi.*

### C A P V T V.

**N**Otabundū quodd maximè est necessaria oris  
disciplina: eò quodd ex oris custodia sit cu-  
stodia cordis. In custodia oris pro magna parte  
est custodia cordis. Qui custodit os suum, custo-  
*Pro.13.*  
dit animam suam. Os est quasi porta hominis.  
Vnde custodia oris tam necessaria est in homi-  
ne, sicut in castro custodia portæ. Vnde quando  
aliquis habet castrum, simplicē habens murum,  
ad portam habet turrim: sic custodia oris est  
custodia animæ. Valet etiam custodia oculorū  
ad custodiam cordis: quia frequenter per ocu-  
los mors intrat in animam. Sic intravit ad ani-  
mam matris nostræ Euæ. Videns enim quodd  
bonum